regia cella ignis operiret
ipsumque regem ea parte cor-
poris qua sedebat afflaret
incendium. Ita solio suo sup-
plicibus excutitur et martino
inuitus assurgit. multumque
complexus quem spernere ante
decreuerat virtute persensa
diuinam emendatior fatebatur.
Nec expectatis martini pre-
cibus prius omnia prestitit
quam rogaret. Colloquio illum
atque conuiuio frequenter adhi-
buit. Postremo abeunti multa
munera obtulit. Que uir
beatus ut semper pauper-
tatis sue custos cuncta re-
iecit. Et quia palacium semel
ingressi sumus licet diuersis
in palacio temporibus gesta
connectam. Nequaquam enim
pretermittendum uidetur cir-
ca martini admiratorem re-
gine fidelis exemplum vj
Maximus imperatorem rem
publicam gubernabat
vir omni uite merito pre-
dicandus si ei uel diade-
ma non legitime tumul-
tuante milite impositum
repudiare uel armis ciuilibus
liceret abstinere licuisset.
Sed magnum imperium nec
sine periculo respui nec
sine armis potuit teneri.
Hic martinum sepius euo-
catum receptumque intra palacium
venerabiliter honorabat.
Totus illi cum eo sermo
de presentibus de futuris de
fidelium gloria de eternitate
sanctorum. Cum interim diebus
ac noctibus de ore martini
regina pendebat euange-
lico illo non inferior ex-
emplo pedes sancti fletu ri-
gabat crine tergebat.
Martinus quem nulla umquam
femina contigisset eius
assiduitate immo potius
seruitute non poterat euadere.
Non illa opes regni non
imperii dignitatem non dia-
dema non purpuram cogi-
tabat diuelli a martini
pedibus solo strata non po-
terat. Postremo a uiro suo
poposcit deinde martinum
uterque compellunt ut ei re-
motis omnibus ministris soli preberet
sola conuiuium. Nec potuit
uir beatus obstinatius
reluctari. Componitur castis
regine manibus apparatus
sellulam ipsa construit
mensam admouet aquam

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Kantonsbibliothek, Vadianische Sammlung, VadSlg Ms. 70, f. 258r – Casus Sancti Galli; Vitae sanctorum (http://www.e-codices.ch/fr/vad/0070/258r)